

Doctoris nō est vera in relatiuis: vt ipse Doctor dicit in secundo, distinct. 1. quæst. 4. & 5. respondendo ad quæstionem.

Sed bona venia tanti Magistri: Doctor nulli bi oppositum nostræ assertionis asseruit: nec in secundo suam regulæ exceptionem legit: & si talis ibi habeatur, debet intelligi de relatiuis transcendentibus, de quibus specialiter tractat.

Quare aliter respondet Dominus Leuchetus, vt supra: & est secunda solutio Bargij: quod regula non est vniuersaliter vera: nisi quādo prius non est causa præcisa, necessaria, adæquata, & immediata posterioris: cum vero extrema sint huiusmodi causa, non poterunt esse de potētia Dei sine relationibus: sicut nec homo sine risibili: nec materia, & forma, vt vnita, sine composito: licet, vt sic, realiter distinguantur.

Sed hæc solutio in præsentī non tenet: duplex enim est causa necessaria & adæquata: altera, quæ agit per pullulationem: altera, quæ vere agit, & efficit per veram actionem: prima nō potest esse sine effectu suo: vt cap. de proprio diximus: secunda vero oprime potest esse sine suo: quare talis dicitur causa necessaria, & immediata: quia effectus non nisi ab illa potest immediate causari: non vero quia eius effectus impediri non possit. Nec exemplum de materia & forma vrget: nam ipsæ vnitæ sunt causæ intrinsecæ compositi: extrema vero sunt causæ extrinsecæ, & efficientes relationis: & ideo licet implicet illas esse sine posteriori, non tamen istas: vt patet: ergo, &c.

Dices: impossibile est, quod sint duo alba; quin similia dicantur: & generans, ac genitus; quin sit paternitas, & filiatio: ergo conclusio est impossibilis.

Respondeo cum Francisco, vt supra: quod ista argumenta concludunt de relatione fundamentali: sed non de actuali: ita quod Deus non potest facere duas albedines; quin sint assimilatiuæ: sed non necessitatur; vt sint actu similes.

Secunda pars statuitur contra Ioannem Canonicum primo physicorum, quæst. 4. art. 3. asserentem non esse impossibile Deo relationem ab extremis separare: & probatur: relatio ex sua natura est habitudo fundata in fundamento, & terminata ad terminum, & prius ad existendū præsupponit illa: ergo per nullam potentiam potest dari sine extremis: patet consequentia: quia Deus non potest suplere rationem fundamenti; vt est relatum; nec rationem termini; vt terminus est: non enim hæc duo sunt solum causæ efficientes relationis: sed vltra sunt fundamentum, & terminus, quorum vices, vt sic, nullatenus Deus suplere potest. Et per hoc soluntur argumenta Ioannis.

Ad primū.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur: ad primum dico: quod paternitas subiecta rursus immediate in potentia generatiua: & cum talis potentia sit totius hominis; ideo totus homo dicitur generare, & pater: exemplum: risibilitas tantum in potentia ridendi immediate subiectatur; & nihilominus totus homo ridere dicitur.

Ad secundū.

Ad secundum nego consequentiam: ad pro-

portionem dico cum Doctore in quarto, distinct. 12. quæst. 1. lit. D. quod relatio, vt relatio, requirit necessario, & præsupponit extrema, a quibus dependet: & ideo nequit sine illis per aliquam potentiam conseruari: vt iam diximus.

Ad tertium, respondeo cum Doctore, in secundo, vt supra lit. H. quod in relationibus est status: nam licet duo alba sint similia duabus similitudinibus a se realiter distinctis: ipsæ tamen similitudines; vel seipsæ sunt similes; vel alijs similitudinibus cum ipsis realiter identificatis: quia earum fundamenta nequeunt esse sine ipsis.

Ad quartum, dico cum Francisco de Riario in primo, distinct. 29. quæst. 2. quod non appareret magnum onus portandum habere aliquem infinitas relationes: quod magis est admirationis signum; quam absurdum: & ita intentum argumenti concedo.

Ad quintum, dico cum Doctore in secundo, loco citato in solutione ad secundum, quod subiectum mutatur, non ad se, sed ad aliud.

Ad sextum, Respondeo cum eodem, solutione ad primum maiorem esse veram: nam certum est aliquid esse compositius rebus diuersorum generum; si illa habeat; quam si illa non habeat: & cum albedo habeat similitudinem; compositior est; quam nude considerata.

ARTIC. V.

An relationes huius generis distinguantur etiam per fundamenta: & quot sint talia distinctiua?

SINE argumentis pro istius articuli intelligentia notandum primo. Ex doctore quæst. præcedente, §. ad primum istorū dici potest, & in secundo, distinct. 1. q. 5. lit. H. quod licet relatio habeat sua genera; species; & indiuidua; sicut & quodlibet aliud prædicamentum: tamen propter eius modicam entitatem non nobis innotescit illius specificæ distinctio: ac differentia; nisi per fundamenta: nō quod sit distinctio specifica per aliquid intrinsecum: nam talis per ordinem ad terminum sumitur: sed est distinctio per aliquid extrinsecum, siue efficiens, siue materiale: & de talibus extrinsecis distinctiuis inquirimus quot, & quæ sint; & an recte à Philosopho assignentur.

Secundo notandum: quod fundamenta relationum sunt in duplici differentiâ: remota, quæ proprie fundamenta appellantur; & proxima, quæ potius rationes fundandis; siue dispositiones vltimæ dicuntur: & quamuis Arist. 5. Metaph. cap. 14. tex. 20. solum de proximis loquutus fuerit: videlicet de vnitatē, quæ est ratio fundandi primum modum relationum: & de actione, & passione, quæ secundum fundant: ac de ratione mensuræ, & mensurabilis, quæ fundat tertium modum: nos in præsentī, non tantum de istis; sed de remotis agemus: scilicet de duabus albedinibus, v. g. de potētia actiua aut passiua; & de mensuræ.

Ad tertium.

Ad quartum.

Ad quintum.

Ad sextum.

1. Nota.

2. Nota.

surabili, ac mensurante: nam hæc sunt proprie relationum extrinsecæ distinctiua.

1. Conclus.

Dicendum primo, fundamenta remota sunt propria distinctiua extrinsecæ relationum. Hæc est Doct. locis citatis, & super 5. Metaph. tex. 20. in primo, distinct. 27. & in quarto, distinct. 6. quæst. 10. in fine & distinct. 13. quæst. 1. lit. V. & probatur primo. Illud est extrinsecum distinctiuum relationum, quod illas vel recipit, vel causat: sed tantum fundamenta remota sunt proprie huiusmodi: ergo.

Secundo, quod non est, nihil fundare potest: sed transeunte actione, & passione, manet relatio: vt patet in patre & filio, qui relatiua sunt, transactio generationis actu: igitur actio & passio non possunt esse proprie distinctiua paternitatis, & filiationis: quia distincta, & distinctiua debent esse similitigitur; cum nō detur mediū; & actio, & passio non sint propria distinctiua istarum relationum; necessario erunt potentia actiua, & passiuæ, quæ sunt fundamenta remota: igitur, &c.

2. Conclus.

Dicendum secundo. Rationes fundandi diuisiuntur tantum vt conditiones necessario requiritæ: est Doct. in quarto, vt supra: & probatur primo, ex Arist. dicentes: hæc fundamenta proxima distinguere relationes: sed eas non distinguunt vt causæ efficientes: nec vt subiecta illarum; quæ sunt propria extrinsecæ distinctiua: ergo distinguunt veluti dispositiones, & conditiones requisitæ.

Secundo, vnumquodque est alterius distinctiuum eo modo, quo est illius constitutum: sed rationes fundandi non constituunt relationes; nisi vt dispositiones præuæ: ergo vt tales eas distinguunt.

3. Conclus.

Dicendum tertio, licet fundamenta remota sint propria distinctiua extrinsecæ relationum: nihilominus vt eorum numerus in communi cognoscatur; penes rationes fundandi atque debent: & cum rationes fundandi sint tantum tres; tria tantum erunt fundamenta remota in communi. Hæc assertio quo ad ambas partes debet esse communis.

Et quo ad primam probatur: nam fundamentum indifferens ad relationes istius, vel illius modi; vt sit alicuius proprium; debet attendi penes illud, quod ipsum determinat, ac proprium reddit: sed aliquid fundamentum remotum potest fundare relationes huius, vel illius modi; estque indifferens ad illas: & determinatur per hanc, vel illam rationem fundandi: ergo penes illam debet attendi. Minorem probatur: eadem substantia potest fundare relationem identitatis; & etiam relationem mensuræ; si sit perfectioris speciei inter species sui generis: quæ duæ relationes sunt alterius, & alterius modi: & substantia illa efficitur fundamentum proprium relationis identitatis ratione vnitatis formalis; & relationis mensurantis per rationem mensuræ; quæ duo sunt rationes fundandi, vt patet: ergo penes rationes tales attenditur determinatio in fundamentis: sicut materia prima efficitur propria huius forme per vltimam dispositionem eam ad illam disponentem, & qualibet causa efficiens ab vltima cō-

ditione requisita causat suum effectum: sine qua ipsum non causaret.

Secunda pars constat: tum per Arist. qui ex tribus rationibus fundandi relatis tres tantum modo relationum assignauit. Tum etiam, quia nulla est relatio, quæ ad has tres rationes fundandi non reducat: vt in sequentibus articulis perspicuum erit.

ARTIC. VI.

An primus modus relatiuorum sit recte assignatus?

QVOD non videtur: relationes istius modi super diuersa generalissima fundantur: ergo nō sunt relationes vnius generis: patet consequentia: relatio vel est idem fundamentum; vel non: si sic: habeo intentum: quia quæ realiter sunt idem, ad idem prædicamentum pertinent. Si nō: contra. Relatio sumit distinctiōnem à fundamento: sed fundamenta sunt genere distincta: ergo & ipsa relatio.

1. Argum.

Secundo, vnitatis formalis est quid negatiuū: ergo nequit relationem realem fundare: consequentia patet: quia fundamentum negatiuū ens reale, ac positiuum, fundare non potest. Antecedens est in Thomistarum Schola receptum: igitur, &c.

2. Argum.

Tertio, duæ albedines possunt fundare relationem identitatis, & non similitudinis; si non habent eodē gradus intensiōnis: ergo falsum est dicere: quod in rebus eiusdem generis possunt simul fundari relationes identitatis; similitudinis; & æqualitatis: ergo, &c.

3. Argum.

Pro intelligentia notandum primo, quod Arist. primum relationis modum, seu genus, 5. Metaph. cap. 15. appellat relatiua secundum numerum, siue vnitatem: quia in vnitatē, & numero fundatur: nomine autem vnitatis, aut numeri, non solum quantitatum intelligit, in quod fundantur omnes relationes proportionis, quibus numerus ad vnitatem; seu ad alium inæqualem numerum comparatur; siue tales relationes generatim significantur: vt excedens ad excessum; multiplex ad submultiplex; siue determinatæ: vt duplū ad dimidium: quæ relationes licet in quantitate continua reperiantur; dicuntur secundum numerum: quia excessus ille, & diuersitas numeris significatur: sed etiam intelligit nomine vnitatis illam, quæ est passio cuiuslibet naturæ; & à Doctore formalis appellatur, ex qua conuenientia multorum in vna natura resultat: & nō omne numeri intelligit pluralitatem multorum; ex qua diuersitas oritur. Vnde hoc primum genus secundum Arist. est, quod in multorum vnitatē; vt identitas; similitudo; & æqualitas: & in multorum pluralitate; vt dissimilitudo; diuersitas; inæqualitas; & aliæ relationes, quæ istis reduci possunt; fundatur.

1. Nota.

Vnde, cum in omnibus gradibus; & rebus prædicamentalibus, prædicta vnitatis reperiri possit;

fit; in omnibus fundabitur relatio primi modi: ita quod duæ substantiæ fundabunt relatione identitatis: duæ quantitates æquales relatione æqualitatis: duæ albedines relationem similitudinis: & sic de reliquis: imo in duabus rebus unius generis omnes tres relationes simul fundari possunt. Nec obstat Arist. qui exemplificans ait; in substantia fundari relatione identitatis: in quantitate relationem æqualitatis: & relationem similitudinis in qualitate: nam hoc non dicit; vt negaret eas in alijs prædicamentis fundari non posse: sed hoc tantum claritatis gratia docuit: vel quia ibi sumit substantiam; quatenus pro essentia; & quantitatem pro quantitate perfectionis; & qualitatem pro qualitate essentiali, sumuntur: quæ tria in omni genere reperiuntur: vt supra iam vidimus.

2. Nota.

Secundo notandum: duo esse necessaria ad fundandam istius generis relationem: distinctionem videlicet & unitatem: distinctio tenet se ex parte extremorum: subiecti scilicet & termini: & hoc est commune omnibus relationibus: extrema enim sunt, quæ referuntur, & relative opponuntur: unitas vero requiritur ex parte fundamenti: quia per unitatem in fundamento extrema distincta ad invicem referuntur: quod adeo verum est: vt quantitas extremum, & fundamentum aliquando coincident: vt cum ipsa fundamenta per se primo referuntur: vt cum duæ quantitates æquales dicuntur: tunc quidem, licet realis distinctio requiratur in fundamento: non tamen præcise quatenus fundamentum est: sed prout extremum est, quod referitur: quando ergo fundamentum, & extremum, quod referitur, sunt distincta; realis distinctio solum ex parte extremorum requiritur: unitas vero solum ex parte fundamenti. Vnde licet in rebus creatis semper fundamentum multiplicetur in extremis: quia vñ numero accidens, siue vna numero natura, nequit esse in pluribus suppositis: nihilominus vbi vna numero natura in pluribus suppositis, siue subiectis, reperitur; etiã talis unitas numerica fundamentum proximum relationis huius generis esse potest: vt statim dicemus.

1. Conclus.

Dicendum primo, Unitas: siue numeralis; siue formalis; & hæc siue sit generica; siue specifica; fundat relationes reales huius primi modi, quæ sunt ex propria ratione mutua. Hæc est Doct. 5. Metaph. q. 12. & communis apud nostros; contra Fonseca 5. Metaph. cap. 15. asserentem relationes identitatis super unitatem fundatas esse relationes rationis: sed contra eum probatur nostra conclusio quo ad primam partem: inter duas substantias; vt inter hominem, & equum; aut inter Petrum, & Paulum; omni accidente circumscripto; reperiuntur omnes conditiones ad relationem realem fundandam requisitæ: scilicet duo extrema realia realiter distincta: fundamentum reale: natura nempe realis in vtroque extremo reperta: ratio fundandi realis; videlicet unitas, natura: non enim minus realis est unitas duarum substantiarum; quam duarum quantitatum: sicut enim ens reale in diuersa prædicamenta partitur: ita & unitas in diuersas unitates; ergo, si secundum Fonseca, & veritatem; sufficiunt prædicta ad causandam relationem realem in quantitate, & qualitate: etiam sufficient ad re-

lationem realem identitatis in substantiis;

Secunda pars; quod scilicet tales relationes sint mutua; hoc est, reales in vtroque extremo; etiam constat: quia vtrumque extremum talium relationum habet ex natura sua rationem fundandi relationem realem: nam ratione unitatis; siue multipliciter vtrumque est ad aliud ordinabile: ergo mutuis relationibus ordinantur ad invicem. Quæ quidem relationes, aliæ sunt æquivalentia; quæ nimirum in unitate fundantur: quia omnes istæ sunt eiusdem rationis, & denominationis: vt patet de relatione identitatis; æqualitatis; & similitudinis; ac in eis oppositis aliæ sunt disquirantia; id est diuersæ rationis, & denominationis: vt quæ fundantur in numero; aut in excessu secundum specificas rationes: vt maius, & minus: duplum, & subduplum, &c. Argumenta Fonseca non adduco; quia facilia sunt: vide eorundem solutiones apud Valeram lib. 2. dist. 5. art. 2. q. 6. vbi hanc nostram conclusionem tuetur.

2. Conclus.

Dicendum secundo, Unitas numerica in vtroque extremo realiter distincto sufficiens est ad realem relationem huiusmodi fundandam. Hæc est Doct. in 1. dist. 19. q. 1. & dist. 31. & in 3. dist. 8. q. 1. & in quodlib. 6. vbi omnes eius Discipuli cum Valera vt supra; & statuitur contra Thomistas oppositum accerrime defendentes, negantesque similitudinem; identitatis; ac æqualitatem in Diuinis non esse relationes reales; quia ad relationem realem plurificatio fundamentorum requiritur: quorum fundamenta vide apud illustrissimum Kadam 1. p. controu. 26. art. 3. contra quos probatur conclusio ex not. 3. distinctio realis tantum requiritur ex parte extremorum; cum ipsa sunt, quæ referuntur; & relative opponuntur; id enim ad seipsum non relative realiter referitur: ergo quando extremum, quod referitur, non est ipsum fundamentum; tunc non requiritur distinctio ex parte fundamenti: sed tantum unitas: ergo quo maior unitas fuerit in fundamento; perfectior erit relatio in extremis.

Secundo, si Deus eandem numero albedinem in duobus subiectis constitueret: tunc illa essent absolute loquendo duo alba distincta à parte rei: vt omnes concedunt: & manifeste colligitur ex Angelico Doct. 1. p. q. 39. art. 7. cum subiecta sint plura, à quibus multiplicatio concretorum accidentalium desumatur: & vñ ad aliud diceretur simile realiter: ergo per relationem realem non aliter; vt supra notatum.

Tertio, secundum Contrarios, distinctio realis ex parte extremorum requisita ad relationem realem non est tanta; vt vnum extremum non includat aliud vltro patet: sed sufficit distinctio includentis & inclusi: vt in relatione totius ad partes: in toto enim eadem numero pars includitur, ad quam referitur relatio realis: igitur licet vñ extremum includat idem numero fundamentum, quod est in alio extremo: quia tamen cum hoc est vere, & simpliciter in re distinctio extremorum: talis distinctio in re sufficit ad distinctionem realem inter illa.

Ad primū.

Ad argumenta in oppositum respondetur: ad primum nego consequentiam: ad probationem dico: quod relatio est aliud à fundamento: nec ex hoc

hoc

hoc sequitur; quod sit tanta distinctio in relationibus; quanta in fundamentis: cum fundamenta sint extrinseca distinctiua: vt patet in verme, & animalibus; quorum alterum est à sole productum; & alterum à Deo creatum: & tamen non requiritur tanta distinctio inter illa: cum in substantia conueniant: quanta inter Deum, & solem: cum in nullo creato identificentur.

Ad secundū.

Ad secundū, Respondet Suarez disp. 47. se. 1. quod licet illa unitas sit aliquid negatiuum: sufficit positiuam rationem entis, quæ subternitur illi negationi: & hoc in vno extremo. Si vero sit seimode relationibus amborum extremorum, inquit, fundare illas ratione conuenientia; in qua conueniunt.

Sed contra: & inquiri: quæ sit illa ratio entis, quæ est ratio fundandi similitudinem in albedine: aut enim est ratio quidditatiua albedinis; aut aliquid ipsi superadditum, quod dicitur unitas: si hoc secundum; ergo unitas non est aliquid negatiuum. Si primum; ergo inmerito Arist. inuestigat, & tradit nobis distinctionem relationum per unitatem; cum potius per absolutum illam inuestigare deberet.

Secundo inquiri: an talis extremorum conuenientia sit aliquid reale à parte rei; vel per intellectum: non hoc secundum: quia tuæ tales relationes non essent reales: si primum; ergo tale est unitas realis; & positiuam patet: quia conuenientia præsupponit unitatem: ideo enim aliqua conueniunt in aliquo: quia illud est vnum commune illis: ergo conuenientia illi realis extremorum præsupponit unitatem realem, in qua uniuntur; & propter quam conueniunt, & identificantur.

Dico igitur ad argumentum: quod talis unitas est realis, & positiuam; formaliter à natura distincta; vt super vniuers. q. 1. dictum monetur.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum: quod non est necessarium semper vt res eiusdem generis fundent prædictas tres relationes: nisi inueniatur fundamentum, & conuenientia ad illas fundandas.

ARTIC. VII.

An secundus modus sit conuenienter traditus?

Secundum Relationis genus fundari super actionem, & passionem testatur Philosophus in 5. Metaph. cap. 15. & licet controuertatur an actio, & passio debeant fundamenta proxima appellari, an tantum conditiones: nam primum tenent Soto, & Toletus hic, & Vazquez 1. p. disp. 160. cap. 2. secundum vero tuetur Valera hic art. 2. quæst. 7. & videtur esse sententia Doct. in quarto, dist. 6. quæst. 10. §. sed restant duo: & dist. 13. q. 1. ad 5. & quodlib. 12. §. hic dici potest: nihilominus nihil solū de nomine concertare videntur: nam fundamentum; vt est causa relationis; non est proxima ratio causandi, sed ratio fundandi: vt vero recipit eam: tunc est proxima ratio recipiendi; & dicitur fundamentum proximum: & in hoc sensu intelligitur Doctor: quare pro huius articuli explanatione;

Notandum primo, quod actio dicitur eo modo, quo potentia; cuius est actio: & cum potentia sit duplex: alia transmutatiua; alia non transmutatiua: actio, quæ est ratio fundandi hunc modum, non est actio potentia transmutatiua: nam talis est actio de genere actionis, & quini prædicamentis: sed est actio potentia non transmutatiua: & cum hæc sit alia productiua; alia inductiua; alia educatiua: sic actio; alia dicitur productiua; alia inductiua; & alia educatiua: productio est ratio fundandi relationem producentis ad terminum totalem, qui dicitur proprie produci: inductio est ratio fundandi relationem inducentis formam ad ipsam formam inductam: educatio vero est ratio fundandi habitudinem agentis educatiue formæ ad ipsam formam de potentia materiae educatæ: quibus tribus actionibus correspondent aliæ tres passionis, quæ dicuntur, productio; inductio; & educatio passiuæ: & similiter de potentia dicatur: nam quod duplex fuerit actio; tot duplex erit potentia sibi correspondens: quia in proposito, cuiusque potentia; seu actio; actiua; sua potentia; seu actio passiuæ correspondet.

2. Nota.

Secundo notandum: quod de hac actione; siue actiua; siue passiuæ; sumatur, dupliciter loqui possumus; vt prout in fieri; vel prout in facto esse: & vtroque modo sunt relationes: aliter tamen & aliter nam actio productiua; vt g. prout dicitur, ab aliis est; prout seipsa dicitur à producente ellitice est actus agendi, mediante quo agens agit: & etiam prout dicitur, ad hoc est actus effectus in fieri: dando illi esse: & similiter productio passiuæ; quæ productum dicitur ab; id est dicitur produceri à producente; & deperdere se ipsam: & simul prout dicitur ad ipsam producerem; semper, ab; præsupponit ad; ad; talis, inquam; actio productiua; vt sic dicitur relatio in fieri: hæc est dicitur esse productiua; & potentia; ac subiectiua ab ipsa deo minime dicitur relationum in fieri: tamen productiua in facto esse: id est relatio illa, quæ conuenit inter producentem & productam; & permanet; dum permanent extrema; sicut habet esse; ita & consistere: & ideo extrema illius dicuntur relata in facto esse.

Ex quibus inferitur: quod relatio in fieri, & in facto esse non est vna relatio; sed duplex, altera alteram præsupponens: & transacta productio in fieri; quæ est ratio fundandi productionem in facto esse; remanet ipsa productio in facto esse; & in esse permanente. Vnde in Beata Virgine post generationem in fieri est alia relatio realis permanens ac durans; dum durat; & permanet filius, quem genuit: nec hoc est inconueniens; vt existimat Suarez disp. 47. se. 12. num. 9. imo necessario fatendum videtur: nam finita via remanet terminus: & cum productio in fieri sit via; & tendentia ad productionem in facto esse: necessario, transacta prima, remanet secunda in esse permanente.

3. Nota.

Pro quo notandum tertio, ex Doct. in 4. distinct. 13. quæst. 1. ad primū, & ad tertium lit. k. quod relatio dupliciter considerari potest: vel præcise in esse relationis; vel prout in tali; & tali fundamento: primo modo, relatio tantum habet terminum respicere; & non illum producere;

De

nam, vt sic, dicitur relatio in facto esse; & terminum iam productum præsupponit: at vero relatio prout in tali, vel tali fundamento: scilicet prout in potentia productiua; inductiua; & eductiua; seu, quod idem est, relatio in fieri; & est relatio dicēs formaliter, ad, inferi; & est relatio productiua, seu actus terminum producendi: quia licet relationes in facto esse sint posteriores fundamento & termino: vt communiter de relationibus dicitur; cæterum relationes in fieri; licet sint posteriores fundamento (hoc enim omnibus relationibus est commune) non tamen sunt posteriores termino; sed priores, prioritate naturæ, tanquam viæ; & tendentia ad illum.

4. Nota.

Quarto notandum: quod hæc duplex relatio in fieri, & in facto esse habet suum fundamentum aliquomodo diuersum: fundamentum enim relationis in fieri est ipsa potentia nuda, sine alia actione præuia, quæ sit dispositio ad illam; at fundamentum relationis in facto esse est ipsa potentia præsupponens actionem præteritam, tanquam præuiam dispositionem: & intelligo potentiam; vt est realitas à subiecto formaliter distincta, & absoluta: vt tenet Doctor in quarto, distinct. 6. quæst. 10. lit. l. nam cum tali actione præsupposita dicitur fundamentum remorum effectiuum talis relationis: licet in recipiendo respectu vtriusque fundamentum proximum appelletur.

5. Nota.

Quinto notandum: quod in potentia actiua triplex relatio fundari potest: prima est perfectiui ad calefactibile: vt calefactiui ad calefactibile: & ratio fundandi hanc relationem consistit in quadam proportione inter vtrumque: nam sicut passiuum consistit in hoc, quod est posse recipere formam ab agente: quod posse est fundamentum in passio: sic actiuum est posse illam in illo causare; & hæc relatio proprie est extrinsecus adueniens: vt optime Herrera in primo, disp. 8. quæst. 4. & si ad hoc prædicamentum pertinet: vt Arist. 5. Metaph. insinuare videtur: tunc calefactiuum, & calefactibile sumuntur large, pro producente, & producto: vt docet Doctor in 4. distinct. 13. quæst. 1. Secunda relatio fundatur in potentia actualiter causante formam: & ratio fundandi huius est ipsa potentia nuda considerata: vt diximus. Tertia tandem est principij actiui ad effectum, quem iam produxit: & ratio fundandi istius est ipsa potentia cum præsuppositione præteritæ actionis: quæ sicut cõcurrit ad fieri ipsius: ita ipsa præsupposita dicitur ratio eius fundandi. Et ad prædictas relationes reducuntur omnes alie, quæ aliquomodo actionem potentiam respicientem præsupponunt: siue sit actio potentie naturalis; siue artificialis; siue portiois; siue potentie naturalis dominadi, &c.

1. Conclus.

Dicendum primo, iste secundus modus relationum realium est optime traditus, & ab alijs essentialiter distinctus: patet autoritate Philosophi: & ex dictis.

2. Conclus.

Dicendum secundo, Relationes omnes istius generis sunt reales, & mutue, quantum est ex propria ratione: & omnes sunt disquparantia. Prima pars patet, quia extrema illarum mutuo sunt ad inuicem ordinabilia: ergo sunt relationes mutue, & in vtroque extremo reales.

Secunda pars etiam constat: quia fundamenta sunt diuersa in extremis: in vno enim est potentia actiua: in alio passiuæ: ergo in vtroque consurgunt relationes diuersæ rationis, & denominationis: ac per consequens disquparantia.

ARTIC. VIII.

An tertius modus relationum sit recte assignatus?

PRO parte negatiua sic argumentor primo, hic tertius modus non distinguitur à primo: ergo. Probo antecedens: nam duplum, & dimidium sunt relatiua primi modi: & tamen duplum mensuratur dimidio: igitur primus & tertius modus coincidunt: ergo, &c.

1. Argum.

Secundo, sensus & sensibile sunt relatiua huius modi: vt vult Arist. & tamen sunt secundi modi: ergo secundus, & tertius modus non distinguuntur: probo minorem ex quarto Metaphys. vbi dicitur: quod sensibile est motiuum sensus: quod confirmatur à Doct. quæst. 3. prolog. lit. D. sed inter motiuum, & mobile est relatio secundi modi: quia est ibi actio, & passio: ergo, &c.

2. Argum.

Tertio, Relatiua huius modi sunt secundum dici, & transcendentalia: ergo. Probo antecedens: tum per Doct. in 1. distinct. 30. q. 2. lit. F. vbi ait: relationem creature ad Deum esse huius modi, quæ; vt patet: est transcendens. Tum etiã, quia scientia; v. g. est qualitas: ac tandem quia hæc est opinio Henrici quodlib. 2. quæst. 4. & aliorum: ergo, &c.

3. Argum.

Quarto, Relatiua huius modi sunt mutua: ergo necessario sunt primi, vel secundi modi. Antecedens est sententia Caietani; & probatur: scilicet, vt sic, refertur ad scibile, vt sic; & e cõtra: sed quidquid realiter refertur ad aliud; & aliud ad illud; est relatiuum mutuuum: ergo, &c.

4. Arg.

Pro intelligentia notandum primo, ex Doct. 5. Metaph. quæst. 13. & quæst. 13. quodlib. lit. N. quod relatio huius modi non est actu mensurati ad mensuram actu mensurantem: quia cum mensurare sit, intellectum de aliquo per aliquid certificari; relatio consurgens inter mensuram, & mensuratum actu, necessario est relatio rationis: quia consurgit inter extrema actualiter cognita, & quæ mutuo se respiciunt: Sed relatio, quæ ad hunc modum spectat est relatio mensurabilis: hoc est, apti nati mensurari ad mensuram, id est aptam natam mensurare. Vbi mensura non sumitur pro illa; quæ est passio quantitatis motilis: sed pro illa, quæ est quantitas perfectionis, à qua mensurabile dicitur dependere dependentia imitationis, siue participationis: quia eius entitas, & perfectio per illam innotescit: exemplum patet in scientia, & obiecto: scientia enim, vt participat perfectione ab obiecto (nã vt dependet ab obiecto tanquam à causa fundat relatione mutuã secundi modi) dicitur mensurabilis per illud; fundatque ad ipsum relatione reale, cuius fundamentum est ipsa entitas absoluta scientiæ: & ratio fundadi est ipsa de-

1. Nota.

sa dependetia perfectionis: quod nõ euenit e cõuerso: nam obiectum non esset aptum scientiæ perfectionem mensurare; nisi scientia ab illo realiter dependeret: siue nisi scientia realiter dependeret ab obiecto in participando ipsum; siue participando illius perfectionem: & ideo in obiecto tantum est relatio rationis ad scientiam: & idem de reliquis mensuris dicitur.

2. Not.

Secundo notandum: quod præter distinctionem relationum à fundamentis desumptam, aliud discrimen inter hos modos assignat Arist. 5. Metaph. tex. 20. his verbis: ea igitur, quæ ad aliquid per numerum dicuntur, atque potentiam, omnia hoc ipsum sunt ad aliquid; quod vnumquodque ipsum, quod est, cuiuspiam dicitur esse: sed non hoc ipso, quod ad aliud dicitur: at mensurabile; & scibile; & intelligibile ad aliquid ex eo dicuntur: quia ad quodcumque ipsorum aliud dicitur. Ex quibus verbis clare constat; relationes primi, & secundi modi esse mutuas, & reales in vno quoque extremo; attamen relationes huius tertij modi esse non mutuas: id est, alterum extremum: scilicet terminum; esse relatiuum non relatione reali ipsi inhaerente: sed tantum relatione rationis, à qua intrinsece relatiuum dicitur: realiter vero tantum habet terminare relationem mensurabilis.

1. Nota.

Tertio notandum: aliud esse dicere; ad omnem relationem huius prædicamenti requiri terminum realem: & aliud; ipsum terminum realem habere in se relationem realem, qua ad suum correlatiuum referatur: nam primum certum est apud omnes: secundum autem est falsum: quia accidit termino; vt terminus est; quod referatur & sit relatiuum: terminare enim solum esse terminum alicuius relationis abstrahendo ab hoc, quod sit relatiuum. Vnde bene potest terminus esse realis; quin in se habeat relationem realem, qua referatur: & si talis relatio requiritur; est per accidens: cum terminus, vt sic, ad suã rationem formalem termini illam non requirat.

1. Conclus.

Dicendum primo, modus iste tertius relationum est optime ab Aristot. insinuatus: & ab alijs duobus essentialiter distinctus. Hæc est Doct. in primo, distinct. 30. quæst. 2. & 5. Metaph. quæst. 13. & probatur: tum autoritate Philosophi. Tum, quia relationes huiusmodi distinctam habent rationem fundandi: distinctamque fundamentum: ac denique quia respiciunt terminum sub distincta ratione alia, ab aliarum relationibus relationum: ergo.

2. Conclus.

Dicendum secundo, omnes relationes huius generis sunt ex intrinseca ratione sua nõ mutue: hoc est, reales ex parte mensurabilis; & rationis ex parte mensurantis. Hæc est Doct. vt supra; & distinct. 35. quæst. 1. §. potest dici ad quæst. & statuitur contra Caietanum: & probatur: quia relationes huiusmodi ex intrinseca ratione sua dicunt dependentia vnus ab alio, quod reciproce non dependet: ergo fundamentum proximum istius modi solum est in mensurabili; nõ vero in mensura, quæ præcise ex ratione sua solum dicit: vt sit id, ad quod aliud ordinatur: non tamen ipsa ad aliud; ob idque à nonnullis diuersi

ordinis nuncupatur. Dicendum tertio, termini istarum relationum; v. g. obiecta scientiarum: non dicuntur relatiua realia per relationes reales alterius extremi, quas terminant: hæc est Doct. in primo, distinct. 30. quæst. 1. §. contraprium. Et probatur: relatio scientiæ intrinsece est ordo ad scibile: ergo nequit esse ordo ad scientiam: alioquin haberet duos terminos adæquatos essentialiter distinctos: atque adeo duas essentias.

3. Conclus.

Secundo, ab vnica forma specie vnicus prouenit effectus formalis adæquatus: ergo & ab vnica relatione vnicus tantum prouenit modus referendi, & vnus rationis; ergo non potest eadem relatio ad terminos formaliter oppositos referri: nec diuersis subiectis conferre denominationes relatiuas essentialiter distinctas.

Tertio, ex tertio notabili denominatione terminatiua non est ex se relatiua: aliter enim de quavis relatione hoc posset affirmari: Scita patet extrinsece denominaretur talis per filiationem intrinsece filium denominantem: quod est falsum: ergo, &c. Et hæc conclusio statuitur contra nonnullos oppositum asserentes.

4. Conclus.

Dicendum quarto, Relationes istius modi sunt prædicamentales: hæc est communis contra Henricum, & probatur: tum autoritate Aristot. tum, quia istæ relationes ex propria natura extremorum mensurabilium proficiuntur; quibus pendunt ab ipsis mensuris; eisque ad illa per se referuntur: possuntque extrema esse sine illis.

Ex quibus patet; ad hoc genus pertinere relationes omnes, quibus potentia; habitus; scientia; sua obiecta respiciunt præcise sub ratione mensuræ, & puri termini: nam si illa sub ratione causæ respiciant; tunc fundant relationes secundum diuinitatem per Doct. 5. Metaph. q. 11. §. pro 4. conclusione: & q. 13. & in 1. distinct. 32. q. 1. & ad aliam quæstionem. Relatio etiam imaginis ad imaginatum teste Doct. in 1. dist. 3. q. 10. & quodlib. 1. §. & relatio signi naturalis ad suum signatum; etiam sunt huiusmodi; &c.

Ad primũ

Ad argumentum ad primũ relictã solutione Antonij Andreae in 5. Metaph. q. 17. dicentis argumentum non cõcludere: quia relationes primi modi fundatur super vnitatẽ præcise de genere quãtitatis: quod falsum esse iam ostendimus: aliter respondeo negando antecedens: ad probationem dico: quod duplũ & dimidiũ formaliter sunt primi modi: at vero materialiter possunt relatione huius modi fundare: sicut de relationibus, quando alias fundant, diximus. Et per hoc ad secundum, nam sensus immediate tantũ respicit actũ; & actus respicit obiectum: & vt sic hunc tertium modum constituunt: non enim implicat: vt relatiua vnus modi ab alterius modi relationibus denominentur.

Ad secundũ

Ad tertium, nego antecedens: ad probationem dico, quod Doctor appellat eas relationes istius modi non quoad entitatem; sed quoad modum: nam quoad entitatem sunt realiter in prædicamento fundamentorum: vt patet ex ipso in secundo, distinct. 1. quæst. 5. quoad modum vero dicuntur istius generis, quia similem denominationem habent. Ad illud de scientia

Ad tertium